

Quomodo suis cogitationibus, manifestationibus, modis estheticam concipientibus, artem aliqui philosophi maximi apprehendant.

Antequam lucem intueretur esthetica, argumenta veluti pulchritudo, ars, animi motus, non pertinebant ad unicam doctrinam. Esthetica, ut disciplina philosophica, nascitur fine saeculi XVIII et patet statim ut casus praecipue proprius aetatis nostrae; nam nascitur ut conatus sigillum universale tribuendi campo qui nondum penitus notus erat, et, propter hoc, aptus ad percipiendum non habebatur.

Dicendum est hunc campum signo subiectivitatis maxime constituti cum manifestationibus suis, inter quas “perceptio individualis”: status subiectivus, qui incipit fieri philosophiae origo et fons animi motuum, ignotus erat Antiquae aetati, qua praestabat notio passionis, quae erit in promtu usque ad seculum XVII. Ab initio saeculi XVIII motus animi putabitur esse proprietas naxime subiectiva quae comitatur quemque actum nostrum et ponatur prope, praeter fundamentum vitae spiritualis nostrae, voluntatem et intellectum.

Esthetica, ut actus temporis nostri, augetur in spatio circumscripto, i.e. Germanico, quod in fine saeculi septimo decimo profert fetus definitos in litterario campo (cuius effectus sunt Goëthe, Novalis, Schiller, Hölderlin, et alii) et in musica (cuius exemplaria sunt Mozart, Beethoven, Schubert) et radices agit in nexibus socialibus ubi ars plane videtur se rem societatis factam esse. Nam eodem temporis puncto quo esthetica nascitur ut disciplina philosophica, eodem momento artifex fit subiectus aptus ad opera agenda, opera videlicet quae solum aestimantur sub specie esthetica. Tunc a Renascentia incipitur actus qui configuratur temporis nostri proprius, antea, a contrario, actus artificis, prae theoria et praxi, manet extra unificationem et definitionem, quarum gratia includitur in theoria esthetica. Si consideramus philosophos Kant et Hegel statim in eis videmus duas estheticas distinctas: unam quae configuratur ut disciplina sensuum perceptionis, alteram ut disciplina pulchritudinis vel artis; unam quae profert sensuum stimulationem, alteram quae esthetica aestimatur disciplina scicta significatione. Si esthetica consideratur ut mixtura artis, pulchritudinis, sensuum perceptionis una cum animi motibus, campo philosophico temporis nostri instamus. At si putamus esse distinctionem inter esteticam ut disciplinam artis et illam ut disciplinam sensuum perceptionis quae motus animi excitat, campo autem antiquo instamus. Ex eo consequitur Aristotelis duo opera nos producere: primum, De Poetica, ubi philosophus tractat de arte cognoscenda, secundum, De anima, ubi loquitur de sensuum perceptione.

Hodie artes omnes non ducunt ad imaginem, sed potius ad expressionem verborum: v.g., exemplar carminis lyrici est loco metaphorae mimeticae. Intra hos limites expletur esthetica temporis nostri.

Quaque ars patefacit campum suum, si modo expressioni verborum aequatur, modo communicationi, modo signo vel imagini.

In societate omnes utuntur ad loquendum, vel verbis, vel voce, vel gestibus. Tunc ex verbis, ut expressio verborum, derivatur poësis, ex voce musica; ex gestu saltus.

Nam secundum auctorem Batteux artes sunt: musica, poësis, sculptura, pictura, saltus. Nam distinguit inter artes: alias utiles, alias utiles et pulchras, alias utiles et pulchras (architecturam videlicet).

Principium ad quod solum possunt duci artes pulchrae est imitatio, i.e. mimesis secundum Aristotelem concepta (quod significat imitationem, sed etiam expressionem verborum).

Secundum Batteux hoc est principium unicum. Non minus definita, quamquam collocatur in campo lato sensu expressivo, est pictura. Nam pictor antea lineamentis, postea coloribus, exprimitur.

Ars, quae antiquo modo significat actum (Graece ποιεσιν), et quae apud Kant facta est facultas mentis, magis magisque sumptura est et erit vim maximam et infinitam, simul ac splendorem fere immensum. Iam tempus adest quo philosophi Schelling gratia ars fit solum, verum, aeternum instrumentum philosophiae, instrumentum aptum ad Absolutum percipiendum.

Causa rationum theoricarum, flatus levissimus philosophicus penetrat in artem, adeo ut vis sua aliis disciplinis praestet.

Nunquam, in consuetudine Occidentali, gradum tam altum tetigit ars, nec tale fastigium, nec talem praestantiam. Nunc ars diligitur et quaeritur sine limite, et vis sua non minus comparatur quam scientiae (lato sensu), moralibus, religioni. Hoc debitum, non solum actui praecedentis philosophi Kant, sed etiam philosophis ut Schelling, qui, quamvis ignoret obiectum manibus factum, opus artificis materiale, nihilominus in opera artis fere absoluta morari cogitatione non desinit, qua theoricus censem artificem vitam infinitam mente fingere. Secundum Hegel ars est unus ex modis sciendi, qui potest perfici per religionem et philosophiam; haec est vera unitas artis et religionis. Dicendum est secundum Kant formam pulchram ex natura longe prestare per perfectionem formae artifice natae; haec, cum sit actus humanus, se agit nisi intra limites humanos (si natura revelat Deum, factor suus, ars revelat hominem). Secundum Hegel homo nisi expressio est Spiritus Absoluti et igitur se proicit semper trans se. Nam si est limes, est in inscientia sui, et talis inscientia est ab initio, cum natura incipit iter suum. Inchoatio est inscientia, sed motus; per motum postea Spiritus cognoscit se ipsum. Cum autem homo apparent Spiritus iam est totaliter in actu, i.e. totus actus est, quia homo sigillum eius est. Ars igitur, cum sit actus humanus, est nisi expressio maxima Spiritus. Natura, qua oritur forma pulchra, est inchoatio, non expansio, cui adaequatur ars, hominis effectus. secundum philosophum. Ex eo consequitur formas absolutas Spiritus esse: artem religionem, philosophiam. Quaeque est forma per quam Spiritus revelat se ipsum, quarum igitur homo est maximum vehiculum. Sed Spiritus non stativus est, sed mobilis; motus suus enim Historiam gignit, i.e. gradus incertos, graves, arduos, per quos augetur; omni gradui adaequatur forma vel expressio eius. Exinde non de

arte agitur, sed de historia artis, i.e. actuatio formarum per quas Spiritus revelat se ipsum.

Dicendum est philosophum videri traxisse cogitationem suam de arte prae modis propriis septimi decimi saeculi, qui enumerabant singulas artes, sed eius proprius est modus spiritualis de arte cogitanda: "quod hic mundus habet in se, nisi pulchrum, pulchrum nisi Spiritus in actu, qui est Idea, ergo Spiritus idem, verum ipsum."

Propter hoc Architectura est prima ars, quia tendit ad materiam inertem mutandam. Postea veniunt sculptura, pictura, musica. Poësis a contrario est maxima forma spiritualis: "singularitas sua consistit in vi qua subicitur spiritui et eius representationibus animi motuum, ex quibus musica et pictura inceperunt artem liberare "Hic est modus, dicit philosophus, artium: in ordinem suum quaeque ars redigitur prout minor vel maior est proximus eius Spiritus: unde ars exterior architecturae, ars obiectiva sculpturae, ars subiectiva picturae, musicae, poëseos.(1) Si Hegel primus dedit nomen suum huic disciplinae, iam ante eum alii de arte et eius categoriis meditati erant. Satis nbis in memoriam revocare Romanticismum Germanicum , qui sub hoc aspectu valde significatus est.

Nova ars, cum sublimitatis et animi motuum praestantiam cognoscat, propter hoc se ostendit valde longinqua ab aequanimitate atque harmonia propriis speciminis neoclassici, apud quod nisi principium formosum admittitur. Nunc fit, ut dissonantia, et immo deformitas, accipientur in operibus.

Scimus enim Lessing deforme accipere in operibus, quamvis addat hoc non debere esse tale ut animum eius qui eo gaudeat vehementer percutiatur (v.g. Laocon, MDCCLXVI). Deinde hoc a fortiori oportet vitetur in artibus figurativis, ubi deformitas esset tam clara, ut effectus minime esset gratus acceptusque eam plane videntibus. In poësi, econtra, ea potest esse auxilio, quoniam, cum sit una inter structuras poëticas, eadem (i.e. deformitas) perdit asperitatem subitaneam et ipso facto auxilium ei conferre potest.

Inter eos qui acceperunt lectionem Hegelianam opus nobis est recordari Carolum Rossenkranz, opere celeber, cuius titulus est " De dformitate tractanda" (MDCCCLIII), ubi dicit in arte deformitatem includi posse nisi momentum dialecticum, negativum, quod superandum est ad locum finalem versus (i.e. synthesin finalem). Deformitas, concepta ut pulchrum medium et comicum, synthesin finalem, ad artis vim constituendam solum aptam. Effectus eius tunc erit ridicula imago, plerumque distorta atque depravata.

Quod, a contrario, pertinet ad Hippolytum Taine ,qui loquitur de artis philosophia, dicit artem, cum sit plane et permultum rei imitatio, necesse esse huius imitationem rationalem. Apud hunc philosophum ars fit "positiva", "descriptiva", cum ei esset in animo ut ars spoliatur omni ratione metaphysica, i.e. efficiatur ut ars fiat speculum rationum quae sunt in re et quae reapse determinant artis actum.

Secundum Taine tria momena sunt sub hoc actu (qui appellatur actus scientificus): species (vel genus), societas, punctum temporis constitutum.

Quod pertinet ad me, dicendum mihi est artem esse fetum libertatis, ubi libertas significat voluntatem, naturalem et perceptivam, sed etiam semper selectionem postulans rerum. Unde sequitur propriam artificis esse intuitionem. Secundum philosophum Johannes Gentile, “ forma artis non est eadem quam cogitatinis forma, quia ars non est cogitatio, sed est anima sua. Nam, si cognitionis forma est logica vel ethica (si consideratur momento quo agit se ipsam), forma artis, a contrario, nisi principium inactuale cuiusque operis, cui solum potest adaequari pulchritudinis vis. Potest exinde dici solum per formam absolutam accedere posse ad pulchritudinem. Vis igitur esthetica estne pulchritudo, quae elementum aliquod est vitae spiritualis? Signa pulchritudinis aliqua praeteritum tempus monumentis inscribit, silentes testes vel symbola humanarum rerum.

Illa carmina vel poëmata enim quae narrant antiquas vicissitudines gentium, dolore vel gaudio repletas, nos hodie ducunt ad eas in memoriam revocandas, valde per versus constructos ab eis qui eosdem nobis tradere evoluerunt.

Cogito de “Odyssea”, “Iliade”, Divina Comœdia”, sed etiam “Mille et una nocte”, de his operibus meditor quae testantur quam aptus sit homo ad sortem infelicem victimae mutandam in actum herois. Si quid in memoria latet, poëta efficit ut id in lucem adferatur, imaginem labilem defigatur, et solacium praebeatur animo dimisso. Erratio (2)est maxime poësis, prae aliis expressionibus artis propriis; et nihil minus idonea ad fatenda omnia quam illa expressio quae tota in se continere putet.

Quia poësis non est solum “cyrographum stilis” (apud Petrarcham, De Vita solitaria), sed valde materia prima civitatis et mythorum. Ita, eodem modo quo aliqui philosophi de deformitate atque pulchritudine non cogitant, quae a malo aut bono non separantur, eodem modo ethica et estheticā pari pondere expenduntur.

Hodie certissime ars consuetudinem coepit habere deformium et invenustarum rerum, quae vero ad sublime per artem non adtolluntur.

(1) Eandem cognitionem invenimus apud Britannum scriptorem, cui nomen est Oscar Wilde:
“ *Vita moderna composita et relativa est: hae sunt qualitates aetatis nostrae. Ut prima configurretur, necesse est aerem percipere totum cum intus subtilitatibus, stimulationibus variis, singularibus et miris cognitionibus; ut secunda configurretur, oportet ad imum rerum descendatur. Quamobrem sculptura ad hunc finem non apta est; a contrario musica ars repraesentativa est, non minus quam res litterae, quae sunt et semper erunt maxima ars repraesentativa*” (in “De profundis”).

(2) mirum est quomodo, concordantia mentis (quod fortasse reducitur ad niversalia, de quibus Scolastici loquuntur), hoc conceptum “erratio” inveniatur apud philosophum Italicum temporis nostri, cui nomen est Emanuele Severino. In libro suo in lucem nuperrime edito prae recordationis momentis loquitur de erratione, quae significat non rectum iter agere prae veritatis iter, quod unum est et irrecusabile. Secundum philosophum, qui ea in diurnario intimo dicit (nam liber est synthesis vitae syae), tota manifestatio mundi nostri est apparitio, imago igitur mobilis per excellentiam, sed imago rei verae cui subicitur, hac ultima non transeunte, fixa verumtamen

immobili. Dicit hanc imaginem transeuntem, fere speculum primae verae rei, esse somnium, distractionem, unde quae ex ea veniunt sunt dis-tractio, erratio summa re.

Nonne ars somnium est, summa erratio est, quia ad rem perfectam, de qua loquitur Severino, semper inclinat.

Quid est tunc recordatio nisi cordis refugium, i.e. apud cor vel in corde domicilium semper, quaerendum (cor ut limes et limen definita)?

Akroasis Internationalis CISAT Instituta 29 Junio 2013 cuius Rector fuit Professor Robertus Pasanisi.